



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

5. Quod sacra communio sit efficacissimu[m] medium proficiendi in triplici  
via perfectionis

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

III. Instituire demum voluit hoc idē diuinissimum Sacramentum, & sacrificium sub speciebus panis & vini, quorum vtrumque ex plurib. granis conterendo & premendo in vnum coalescentibus conficitur, & vbiq; facile habetur. idque 1. vt ostenderet se optare illud frequentari à fidelibus in charitate vnitis. 2. ab ijs, qui sibi in amore Crucis, tolerantia tribulationū & pressurarum niterentur esse quā simillimi. 3. cum pia recentique sui amore ipsorum in torculari crucis calcati, pressique memoria. Affectus ferē iidem.

V. *Quod sit efficacissimum medium proficiendi in triplici via perfectionis.*

I. **C**Hristus ipse fons omnis gratiæ & sanctitatis in hoc vno Sacramento, præ cæteris omnibus, per seipsum animæ languenti applicat medicinā, qua minores culparum venialium languores curentur, pericula maiores incurrendi arceantur, tentationum & passionum impetus frangantur, & penarum necdum plenē extolularū reliquiæ expientur: idque per liberalem meritorum suorum applicationem ex gratuita miseratione.

Quanta

Quanta illa amantissimi medici nostri fœditates vulnerum nostrorum non exhorrescentis, sed propria quasi manu contingentis & sanantis dignatio! Gratitude, spes, zelus proficiendi in animæ puritate.

II. Idem per semetipsum dignatur in hoc eodem Sacramento animas dignè communicantium in serio solidarum virtutum studio confortare, mirè promouere, ac sensim suarum perfectissimarum virtutum, humilitatis, patientiæ, obedientiæ, charitatis, zeli, aliarumque gustum iisdem tam suaviter & efficaciter instillare, sicut cibus suas corpori qualitates solet impertiri: ita, vt, quoad memoriam, intellectum, volūtate, sensusque omnes, nihil, nisi absolutissimas Christi virtutes, spirare videantur. Gratitude, spes, feruorque Christi virtutes imitandi.

III. Demùm in eodem sublimissimo Sacramento dignatur Christus semetipsum tam miro modo substantialiter animæ & corpori deuotè comunicantiũ vnire, eosque diuini amoris facibus per semetipsũ inflammare, ita, vt in se toti transformetur, extra se nihil velint, in se vno super omnia dilecto suauissimè conquiescāt: idque ex quam ineffabili dilectionis excessu? Quan-

ta

ta proinde alacritate ad hoc diuinissimū amoris incendium animæ in redamando tanto amatore frigida merito foret properandum? Amor, feruor piè communicandi, seque Christo per amorem, & voluntatis resignationem penitus conformandi.

VI. *De excellentia SS. Eucharistia, quatenus est Sacramentum.*

I. **M**agnitudo & excellentia SS. Eucharistia, quatenus est Sacramentum & mysticū conuiuium, quoad latitudinem inde potest æstimari, quod in ea omnibus, quantumuis ingratissimis & indignis se Christus quoad corpus, sanguinem, animam, diuinitatem, & humanitatem, in spirituale cibum omnis saporis offerat; ad omnia mala culpæ & pœnæ amolienda, atque ad omnia bona gratiæ & gloriæ obtinenda: ex immenso amore erga omnes, & zelo singulorum spirituales morbos curandi, profectumque in omni perfectione promouendi. quam immensa tam immensæ gratiæ deberetur gratiarum actio? quam immensa tam immenso amori mutua dilectio? quanta deuotione foret hæc mystica cœna frequentanda.

II. Quo-